



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illustri Regi Anglorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

gligentia sua circa debitam Ecclesie suae providentiam &c. ut in illa quae mittitur Metensi Archidiacono in regesto quarti anni Domini Innocentij usque in finem. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum Laterani XI V. Kal. Aprilis.

Illustri Regi Anglorum.

*Epist. 19.
Inv tatur Rex
ad opera pietatis,*

*Boët. lib. 3. de
conf. philol.*

IN medio duorum hostium positus miser homo, dum caro adversus ipsum & adversus carnem spiritus concupiscit, dum corpus quod corrumpitur aggravat animam, vix potest in carne carnis sordes exuere & cum corruptibili non corrumpi, cum saepe Dalila praevaleat in Samsonem, & capiatur in amplexu virginis etiam unicornis. Sanè nulla pestis efficacior ad nocendum quam inimici hominis domestici ejus, quibus tanto minus resistitur quanto difficilius evitantur. Quis autem pugnam hujusmodi levem putet, quis eam valeat evitare, cum Apostolus etiam de se dicat, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis*, nisi qui ejus exemplo castigaverit corpus suum & in servitutem redegerit, ut caro spiritui & rationi serviat sensualitas? Non enim in hoc conflictu finis est aequanimiter expectandus, aut tamquam tutius medium eligendum, ut vel neutri faveatur omnino, vel utrique pariter faveatur, sed juvandus est spiritus, & caro contraria subjuganda. Verum dum caro spiritum vel spiritus carnem culpat, immo, ut rectius dicamus, impugnat, nemo vivit absque peccato, quoniam si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et quia non tantum luisse in culpa est, sed non incidere quoque ludum, ad lamentum est poenitentiae recurrendum, ut sordes criminum confitentis abluantur lachrymis, & pulvis cogitationum poenitentis suspiriis exsuffletur, fiatque majus gaudium angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente quam super nonaginta novem justis qui noscuntur poenitentia non egere, gaudemus & tui propositi puritatem in Domino commendamus quod, sicut venerabilis frater noster Cantuariensis Archiepiscopus nobis intimare curavit, serenitas regia quae praediximus diligenter attendens, ei peccata sua, quae ab aetate ineunte commisit, humiliter est confessã, & juxta consilium ejus Deo satisfacere repromisit. Idem autem Archiepiscopus salutis tuae cupiens providere, inter alia tibi

diligenter consuluit ac prudenter injunxit ut centum milites dirigas in subsidium terrae sanctae in obsequio crucifixi per annum integrum moraturos, & monasterium instituas in quo conventus fratrum Cisterciensis ordinis statuatur. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus posteriorum oblitus, ad anteriora jugiter te extendas, nec retrorsum respicias, sed de cetero vaces operibus pietatis, & sic satisfacias de commissis ut caveas cautius committenda. Speramus enim quod si te in operibus exercueris pietatis, & feceris quae sunt placita coram Deo, prosperabitur regnum tuum, & honor regius temporaliter etiam recipiet incrementum. Nos autem de misericordia Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ut satisfactionis effectus tibi ab Archiepiscopo eodem junctus, & sponte à tua devotione susceptus, in remissionem tibi proficiat peccatorum &c. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis.

G. fratri militiae templi familiari nostro & nobili viro Lug. & M. de Potentia Magistris Camerarius Apuliae & terra Laboris & ducatus Amalphis.

AD nostram noveritis audientiam pervenisse quod W. de Plear. exhausto thesauro regio, ne quid remaneret intactum, terras, possessiones, tenimenta demanij & montitij, molendina, & furnos, & macella, & alios redditus quibus voluit pro sua voluntate concessit, & concessionem suam sigillo regio, quod ipse tenuerat, confirmavit. Praeterea cum à quibusdam Ecclesiis, civibus, & mercatoribus pecuniam mutuo recepisset, & extorsisset ab aliis violenter, tandem ut laesos utrinque placaret, bajulationes concessit eisdem, & in dispendium Regis retorfit quod in suum & suorum commodum attentarat. Cum igitur tantum Regis dispendium nec debeamus nec velimus aequanimiter sustinere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus & ea quae ipse concessit, non obstante appellatione vel contradictione cujuscunque, ad Regis dominium revocetis, & eos quibus bajulationes commisit, eisdem bajulationibus curetis auctoritate apostolica spoliare, nisi forsitan vobis per literas nostras ostendant quod eis fuerint per apostolicam sedem confirmata. Datum Laterani X. Kal. Maij.

*Epist. 20.
Irritantur quae
à VV. de Plear
acta sunt.*